

DISSERTATIO
DE
LEGIS DIVINAE
PARADOXAE

DEVT. XXII. 6. 7. EXHIBITAE
SENSV ET SCOPO

IN
AUDITORIO THEOLOGICO
GEORGIAE AVGVSTAE

PRAESIDE
CHRISTOPHORO AVGVSTO
HEVMANNO

S. THEOL. D. EIVSQ. ET HIST. LIT.
PROF. ORD.

D. XII. OCT. MDCCCXLVIII.

PUBLICAE SVBIECTA DISPVATIONI

A
FRANCISCO FRIDERICO WILHELMO
KLEINSCHMIDIO,

HAMELENSI

S. THEOL. CVLTORE

ET

SOCIETATIS TEVTONICAE GOTTINGENSIS MEMBRO.

GOTTINGAE
LITERIS IO. FRID. HAGERI.

Coll. diss. A
178, 30

34. A 178(30)

DISSERTATIO

DE
LEGIS DIVINAE
PARADOXAE

DENT. XXII. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

AVDITOT O THEROLOGIO
GEOROMAE AYGSTAR
PRAESIDE

CHRISTOPHORO AVGUSTO
HEVMA



2. THEOL. D. E. V. A. S. T. I. T. I. S. T. I. T.

D. XII. OCT. 1784

FRANCISCO FRIDERICCO WILHELMO
KLEINSCHMIDIO

3. THEOL. D. E. V. A. S. T. I. T. I. S. T. I. T.

SOCIETATIS THEOLOGICAE GOTTINGENSIS MEMBR.

GOTTINGAE
LITERIS IO. ERIC. HAGERM.

VIRO
MAXIME REVERENDO
DOCTISSIMOQVE
IO. FRID. ROSENHAGENIO
SUPERINTENDENTI ET PASTORI
PRIMARIO DIOECESIS
CELLERFELDENSIS OPTIME MERITO

VIRO
AMPLISSIMO CONSULTISSIMOQVE
C. H. CONERO
PRAETORI VRBIS CELLERFELDAE
SPECTATISSIMO
CAETERISQVE

TESTAMENTI CALVOERIANI
EXECUTORIBVS

PATRONIS SVIS STUDIOSSIME
COLENDIS

GRATA MENTE DEDICAT


HANC DIATRIBEN

FRANCISCVS FRIDERICVS WILHELMVS

KLEINSCHMIDIVS.



LEMMATA.

 *D*e conatu & successu Spenceri, rationes legum Mo-
saicarum explicare aggressi, I. Silentii eius de le-
ge Deut. XXII. 6. 7. causa, II. Verba huius
legis, eorumque versio, III. Interpretatio horum
verborum: האם על-הבנים, IV. Notatur error Io. Clerici hanc
legem interpretantis, V. Huius legis παραδοξολογία, IV. De
tacentibus ad hanc legem interpretibus eorumque pia prudentia,
VII. VIII. Falsarum huius legis interpretationum prima, IX. se-
cunda, X. XI. tertia & quarta, XII. quinta, XIII. sexta & se-
ptima, XIV. Ad nostram interpretationem praefatiuncula, XV.
Primo quaeritur, quibusnam praescripta fuerit ista lex, & re-
spondetur, XVI. Quae fuerit nouae huius legis causa & occasio,
XVII. Cur non poenae comminatio, sed promissio praemii, adiun-
cta fuerit huic legi, XVIII. Sapientia coelestis legislatoris in le-
gibus educationem iuuentutis spectantibus conspicua, XIX. Men-
tio aliorum legislatorum, iuuentutem a crudelitate erga animan-
tes seuerè arcentium, XX. Conclusio, XXI.

A

D. G.

I.

Pium utique opus aggressus erat Io. Spencerus, Theologus quondam Cantabrigiensis, cum considerandas suscepit leges rituales Hebraeo populo datas, & necubi offendi possent piae mentes, aut robur addi irreligiosorum hominum impiae illusioni, id egit, ut, sapientiae (a) plenas DEOque dignas esse leges has uniuersas, manifestum faceret. At, quod iis accidere solet, qui primi ad intentatum aliis laborem se accingunt, ut e tenebris in lucem undique liquidissimam haud ubique emergant, sed nonnihil explicandum relinquunt posteris, idem de Spencero (b) iam dudum obseruarunt viri doctissimi. Inprimis clarissimus ille Batauorum theologus, Hermannus Witfius, suo subiecit iudicio opus illud Spencerianum, & singulari volumine, quod *AEgyptiaca* inscripsit, errores Spenceri refellere conatus est, ac, ut in exitu primi capitis scribit, *egregio inspersos abstergere corpore naeuos*. Verum nec hic satisfacisse putandus est acutioribus, praesertim cum a sententia, quam *lib. III. cap. 1. & 2.* luculenter demonstrat Spencerus, (etsi immiscens quaedam, quae rectius omissurus erat,) abhorreat, & *lib. III. cap. 14.* neget pernegetque, DEVM Hebraeis, magno caerimoniarum sacrarum apparatus in AEGypto adfuetis, pater-
terna

(a) *Interdum occurrunt in Mose absurdae & stultae leges, ut aliquibus videntur: inquit Lutherus Comm. in Deut. Opp. Ien. Lat. T. III. f. 75. b. Recordemur hic illud Pauli 1. Cor. I. 25: Τὸ μωρὸν τῆ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστ.*

(b) *A nemine tractatum hoc argumentum se reperisse scribit in Prolegomenorum capitis tertii sectione quarta. Iterum: E Christianis nemo, inquit, in hoc genere lucubrationis haecenus elaboravit. Rursus ibidem scribit, Iudaeos simul & Christianos a legum earum causis indagandis haecenus abstinuisse, nec quemquam adhuc provinciam hanc suscepisse destinato consilio.*

terna (c) συγκαταβάσει multos permisisse ethnicis vsitatos ritus, sed ita, vt eos ad veri Numinis cultum transferret.

II.

Nec vero solum leges illae, quibus caerimoniae sacrae praescribuntur, quod ad scopum earum attinet, altioris sunt indaginis; sed etiam inter ciuiles leges, Hebraeis a DEO latas, sunt, quarum scopus explicationem habet difficillimam. Has inter illam nunc contemplantur, quae *Deut. XXII. 6. 7.* exhibetur, tam ipsi Spencero obscuram, vt, cum caeteras hoc capite contentas leges, obscurum habentes scopum, accurate (d) considerarit, hanc alto praeteriret silentio. Scilicet ideo tacebat, quod frustra consumserat suam de ea meditationem, alioque (e) tempore ingenii sui vires erat expecturus, si forte conatus tandem hic succedat prosperius. Verum, cum quartum postea operis huius sui librum elucubrarit, post mortem ipsius editum, nec tamen ibi commemoret illustrandumque suscipiat legem hanc, iure hinc colligimus, eum hanc legem contemplantem omne oleum omnemque operam perdidisse, nec reperisse, quod cum aliqua fiducia proferret in publicum.

III.

(c) Huic sententiae, iam, vt Spencerus docuit, a Patribus nonnullis, itemque a iunioris aevi theologis aliquot, probatae, etiam Lutherus noster subscripsit in *Comment. in Deut. Operum Lat. Jen. T. III f. 76.* editionis anni 1567. En verba eius: *Non alia de causa puto voluisse DEVM, caerimoniis istis populum formari, quam quod vidit, vulgus hominum laruis illis & speciebus maxime affici & capi.* Non ita pridem etiam Infantius, Berolinensis theologus, illustrauit hanc sententiam in *Praefatione generali ad Gallicam Bibliorum versionem p. 7.*

(d) *Lib. II. cap. 17. 18. 19. 20. & 21.*

(e) *Hac de lege quid mihi videatur, alibi magis aptus erit enarrandi locus, inquit lib. II. cap. 8. sect. I. §. 1. p. 445.*

III.

Audiamus legem hanc his verbis publicatam:

כי יקרא קן צפור לפניך בררך בכל עץ או על הארץ אפרוחים או ביצים והאם רבצת על האפרוחים או על הביצים לא תקח האם על הבנים: שלח תשלח את האם ואת הבנים תקח לך למען יושב לך והארכת ימים.

Interpretationem adiungimus Iunio-Tremellianam: *Si obviam fiet tibi nidus avium in via, in vlla arbore aut humi, nidus pullorum aut ouorum, ubi mater incubet pullis aut ovis, ne accipito matrem cum pullis. Prorsus dimittito matrem, pullos vero accipies tibi, ut bene fit tibi & prolonges dies tuos. Ecce, si placet, & meam versionem, sensui magis legislatoris, quam dictioni Hebraeae, adstrictam. Vbi incideris in agro deambulans in nidum avium, siue is in arbore aliqua fuerit siue humi, in nidum, inquam, in quo pulli sunt vel ova, matre pullis aut ovis incubante, caue matrem una cum pullis suis inde eripias. Praecipio tibi seuerissime, ut matrem dimittas, & pullos duntaxat tecum auferas. Hoc pacto felicitatem tibi promitto vitamque longam.*

IV.

Nihil habent Hebraea verba obscuri, nisi quod על הבנים alii *mater super pullis* reddunt, (inter quos Pagninus,) alii *mater cum (f) pullis*. Verum posterius esse amplexandum, Bochartus docuit in (g) *Hierozoico*, plurimisque similibus locis confirmavit (h) Noldius: e quibus duo depro-

(f) Observatu haud indignum, vti Hebraice hic *pulli avium* vocantur *fili*, sic Graece filios humanos nominari *νεόττω*, *pullos*, a Theophrasto *Charact. cap. 2.*

(g) *P. II, lib. I. cap. 16. p. 113.*

(h) *Concord. partic. V. T. v. לך num. 9.* Errat proinde graviter Spencerus, *lib. II. cap. 11. p. 487.* ita scribens: *לך vix unquam cum denotat.*

depromimus, hoc sensu eandem dictionem exhibentia. Scilicet *Gen. XXXII. 2.* timuisse legitur Iacobus, ne aduentans frater trucidaret $\square\text{הנני} - \text{ל} \square\text{א}$, *matrem una cum liberis: & Exodi XXXV. 22.* venisse dicuntur $\square\text{וישנה} - \text{ל} \square\text{וישנה}$, *viri simul & mulieres.* Ac veteres quoque illae versiones nostrum locum sic reddiderunt, Graeca: $\tau\eta\nu \mu\eta\tau\epsilon\rho\alpha \mu\epsilon\lambda\alpha \tau\omega\nu \tau\acute{\epsilon}\kappa\nu\omega\nu$, Latina: *matrem cum filiis siue pullis.*

V.

Caeterum Io. Clericus aliquo modo vitiauit hanc legem, sua in *Paraphrasi* scribens, matre dimissa licere pullos & ova auferri. Enimuero ita non loquitur lex, solum pullorum ablationem permittens, & hoc ipso ova relinqui iubens, quod matrem vult dimitti incolumem, ova scilicet exclusuram, cum suum ad nidum reuerfa fuerit. Acutius proinde vidit Phocylides, homo siue Iudaeus siue Christianus, ita legem hanc (i) interpretatus:

$\text{Μητέρα δ' ἐκπρολίπης, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆσδε νεοσσός,}$
Matrem autem dimittas, ut rursus habeas eius pullos.

VI.

Praeceptum nunc huius legis consideraturi obseruamus initio, id adeo paradoxum videri, vt nonnulli in verba eruperint empaecta, quam religioso theologo, digniora. Certe vix quisquam sine indignatione legerit haec verba Guilielmi, Parisiensis saeculo XIII. episcopi, in suo *de legibus* (k) libro effusa: *Quis audiat & risum contineat, pro dimissione vnius auiculae tantam promittere DEVM mercedem, quantam pro vniuersorum mandatorum suorum obseruatione?* Stupet etiam ad vitae longae promissionem Paulus Fagius: *Quid mertiti*

A 3

est

(i) Versu 81. E Christianis fuisse hunc poëtam, praeter eos, quos Fabricius *Biblioth. Gr. lib. II. cap. XI. § 3. p. 436.* nominat, censent Salmasius libri *de coma p. 552.* & Duportus in *Prælectionibus in Theophrasti Characteres p. 225.*

(k) Cap. 4. p. 35. *Operum T. I.* editionis Aurelianensis.

est, (l) inquiring, *auiculae donare vitam?* Imo & Lutherus noster legis huius παραδοξοφάνειαν agnoscit, ita in suo in Deuteronomium commentario (m) scribens: *Stulte videri possit posita haec lex, ut quae de re adeo nihili non solum praecipiat, sed & felicitatem & longam vitam seruantibus promittat.*

VII.

Idem vero Lutherus, ut mala haec species abstergatur huic legi, piam nauauit operam, pluresque alii Mosaicarum legum interpretes: quorum eos, qui nostros venerunt sub oculos, audiemus, &, an verum huius legis scopum affecti sint, idque, quod omnem nobis eximat scrupulum, protulerint, attente iudicabimus. Occurrerunt vero nobis nonnulli interpretum, qui plane nihil super hac lege dixerunt, atque ita indicarunt, se quidem nequaquam dubitare, legem hanc esse a DEO profectam, atque ut iustitia, sic etiam sapientia eius, dignam; at scopum huius legis sibi perspectum non esse, nec se videre huius diuinae sapientiae veluti formam suis oculis. Quos quidem laude iudicamus dignissimos, ac ipsi per diu nos professi sumus piae huius ignorantiae socios. Prudentiae namque Christianae est, ubi legis alicuius Mosaicae rationem & scopum, quamuis diu ac diligenter quaesitum, inuenire non potes, tuam accusare ingenii imbecillitatem, non legum DEI sanctitatem. *Quid enim tantum nobis permittimus homuli, inquam cum (n) Witfio, ut diuinarum legum omnium rationes exponere nos postulemus? Ita nos de diuinis legibus existimare par est, earum sapientissimas semper sanctissimasque DEO constare rationes, etiamsi eas nostri ingenii caliginosus stupor non assequatur.* Inter eos igitur, qui taciti praetereunt hanc legem, e Iudaeis est Salomo Isacides, e Christianis Grotius, Hackspanius, & Andreas Osiander. Nolo nominare plures, quorum cum inspexi ad Deuteronomium com-

(l) *Annot. ad h. l.*

(m) *Opp. Ien. Lat. T. III. f. 134 b.*

(n) *Aegyptiacorum lib. III. c. 15. §. 6.*

(7)
commentationes, nihil ad hanc legem scriptum annotatum-
que reperi.

VIII.

Referri hunc in censum & hi merentur, qui quasi nihil praeterea dubitationis suboreretur huius legis lectoribus, simpliciter docent, crudelitatem erga bestias hac lege prohiberi. Ita se gessit Seb. Munsterus, eiusque pedisequus, Isidorus Clarius: Ioachimus item Langius & Zeltnerus: qui in *Bibliorum Altorfinorum* editione secunda ad haec verba: Du solst die Mutter fliegen lassen, adscripsit: als welche in ihrem Gottgefälligen Natur-Amte begriffen ist. Quid vero hi respondebunt obiicientibus, si hoc sibi hac lege voluisset DEVS, non vnum aliquod crudelitatis genus vetitum eum fuisse, sed generatim interdicturum crudelitate in bestias, ne videlicet caetera crudelitatis genera ideo, quod hic non sunt interdicta, viderentur permissa? Quid respondebunt ad annexam huic legi promissionem prorsus singularem, & omissam poenae comminationem?

IX.

Alii igitur altius cogitandum iudicarunt de legis huius scopo. Et Theodoritus (o) quidem suspicatur, id spectare hanc legem, ne aliquod genus animantium e mundo tollatur. Quae sententia verisimilis visa est & Gerhardo in amplissimo suo *ad Deuteronomium commentario*, Lucae item Osiandro & Calmeto. Ac sane sunt quaedam aues seminibus agrorum infestae: nec nescimus, alicubi locorum certum passerum numerum rusticis praescribi, quorum capita praetori suo exhibeant. Vetari proinde id a DEO credi possit, nullum auium a se productarum genus excidi passuro ab hominibus, naturam quippe earum non satis perspectam habentibus, nec, quem in usum fructumque generatae sint, ex omni parte intelligentibus. Verum vel ob id reiicienda est haec

(o) In *Quaestionibus ad Deuteronomium.*

haec coniectura, quod verba legis eam minime fulciunt. Quare sui auctores ipsi eam deseruerunt, & aliam sibi praeplacere, facti sunt: quam nunc exhibebimus.

X.

Theodoritus videlicet ille, Gerhardus item & Calmetus, symbolicam tamen praetulerunt interpretationem, rati, praescribi hac lege humanitatem & mansuetudinem erga homines. Nimirum cum parci DEVS iubet auiculis, multo magis parci oportere hominibus, inquit. Haec lex, inquit Theodoritus, *Φιλανθρωπίαν παιδεύει*. Fagius vero ita: *Non tantopere curae est auicula DEO; sed per liberationem auiculae ad misericordiam animum credentium fingere voluit*. Idem Augustinum Steuchum adducit huius sententiae professorem: in qua etiam Lutherus (p) fuit, & Vatablus, & Tostatus, & Lyranus, & Antonius de Escobar & Mendoza, & Menochius, & Cornelius a Lapide, & Calouius, & Franc. Burmannus, Rabbinique quoque a Seb. Munstero & a Bocharto (q) memorati. Adiunxit his se Clericus, ita tamen, vt Sceptico, quam dogmatico, propiorem se praebeat: *Symbolica haec esse VI-DETVR lex*, inquit.

XI.

Vix est, quod dubitemus, his ob oculos fuisse legem de boue inter trituram os clausum non habituro, de qua ita apostolus 1. *Corinth. IX. 9. 10.* pronuntiat: *Vtrum DEVS hae lege bobus prospicit, an potius in hominum utilitatem id edixit?* Id quod hisce verbis repetit (r) Tertullianus: *Boui terenti vincula oris remittuntur ad fructum praesentis laboris, quo facilius in pecudibus praemeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*. Ac Salomo quoque laudat (s) commendatque

(p) *In Comm. ad. h. l. Operum Ien. Lat. T. III. f. 134. b.*

(q) *Hieroz. P. I. lib. I. cap. 41 extremo.*

(r) *Lib. II. adu. Marcionem cap. 17.*

(s) *Prov. XII. 10.*

datque clementiam in bestias. Nec alia existimo de causa vetari (t) societatem asini & bouis in arando, quam ne perpetuis plagis vrgens asinum, vt incessum bouis aequet, non solum immisericordiam exerceas in asinum, verum etiam hoc veluti gradu adscendas ad inhumanitatem erga tuae naturae socios. Atque eodem tendere leges, huius ipsius in capitis prioribus quatuor versibus exhibitas, facile, credo, assentieris. Quod si quis cum apostolo sensum legis literalem non abiicit, sed ab eo adscendit ad scopum legislatoris sublimiorem, facile largimur, etiam illi *de matre auium haud necanda* legi adhiberi & posse & oportere meditationem atque interpretationem Paulinam. Verum hoc modo non tollitur *περὸ ἀποστολῆς*, ab ipso nostro Luthero supra §. VI. proposita. Quare quidam non literalem sensum huic legi tribuendam censent, sed tantummodo symbolicum & mysticum, Caluino (u) applaudentes, leges aliquas Veteris Testamenti, maxime caerimoniales, rato, ideo esse interpretandas mystice, quia alias forent ridiculae. Quam vero sit inconueniens, legi illi, de qua cum maxime disputamus, assignare sensum symbolicum, postea docebimus, quam caeteros audierimus, quibus & ipsis sensus huius legis symbolicus, etsi alius, placuit.

XII.

Cocceius scilicet innui arbitratur hac lege, *semper habendam esse rationem abundantioris commodi, cum spes prolis occidatur per cupiditatem & gulam.* Ac subscripsit huic sententiae, & haec ipsa verba Cocceii, quem non nominat, sua fecit Franciscus (x) Burmannus. Aliud symbolum nuper placuit

(t) *Deut. XXII, 10.* Spencerus, cum nullus ritus idololatricus, cui lex haec opposita videri queat, in vniuersa historia antiqua sibi occurreret, finxit aliquam *lib. II, cap. 19.* consuetudinem ethnicam: quae quidem ingenii proteruia indignatione digna est non mediocri.

(u) *Instit. relig. Christ. lib. II, cap. 7, §. 1.*

(x) *In Comment, ad h. l.*

cuit celeberrimo Bremensium Theologo, Nonnenio, in *Disp. ad psalmi LXXXIV. 4. §. XXI. Sublatio*, inquit, *pullorum est symbolum captiuitatis. Inculcat igitur haec lex aenigmatice aequitatem erga captiuos obseruandam. Paulo post matris dimissione doceri ait, dimittendos esse parentes captiuorum venditione aut manumissione. Nobis vero cur nulla probetur huius legis interpretatio symbolica, haec causa est. Non est DEVS legislator Pythagoricus, aliud dicens, aliud sentiens. Foret namque hoc pacto sensus legum ipsius & obscurissimus & incertissimus, cum alius aliud, quemadmodum vidimus, e tali Numinis lege sit exsculpturus. Leges proinde diuinae sensum habeant literalem necesse est. Et quam ampla porta aperitur etiam peruersis & impie ingeniosis interpretationibus legum diuinarum, si haec recipiatur sententia! Recte itaque (y) Spencerus exclamat: *Quis unquam legem, ad mores tantum formandos populo rudi datam, aenigmatice & ambagibus inuolutam tradidit?* Idem nobis in mentem reuocat Bochartus in suo (z) *Hierozoico. Legislatores tropis & metaphoris uti non solent, inquit, sed edicta sua verbis propriis efferre, ne vlla subsit aequiuocatio.* Multis etiam argumentis pro sensu legum diuinarum literalis praeclare pugnat Guilielmus Parisiensis in libri sui *de legibus* decimo quinto capite.*

XIII.

Eodem hoc argumento nos permouente reiicimus allegoricas nostrae legis interpretationes, si scilicet allegoricus sensus non ingenio interpretis soli, sed etiam sanctissimo legislatori tribuitur. Ingeniosae enim, non eruditae, pietatis est, hunc in modum tractare DEI leges: &, cum ita, quot capita interpretum, tot sensus existant, quo, quaeso, iudice certum habebimus, quae allegoria caeteris anteponenda sit omnibus, ac verum exhibeat legis sensum? Quas igitur nunc recitaturi sumus nostrae legis interpretationes allegoricas, eas
praeiu-

(y) *Lib. II. cap. 21. sect. II. p. 639.*

(z) *P. I. lib. II. cap. 56. p. 690.*

praeiudicamus omnes esse natas in agro luxuriantium ingeniorum pias fabulas. Primam producimus illam, quae a Iudaeo quodam saeculi duodecimi, tales quosdam interpretes Christianos irridenti, in vetere illo, quod Wagenfelliæ edidit, Nizzachon profertur. En verba (a) eius: *DIMITTE MATREM, hoc est, legem Mosaicam, eamque non cape sensu literali, sed mystico: PULLOS VERO ACCIPIES TIBI, hoc est, expositiones (mysticas) sanctorum virorum.* Non esse mentitum hunc verpum, ideo facile nobis est ad credendum, quod tribus saeculis ante Walafrius Strabo in *Glossa* sua ordinaria hanc exhibuit nostrae legis interpretationem: *Per viam imus, dum praesentem vitam transimus. Nidus avis in arbore vel in terra sunt verba historiae aut in contemplativa aut in activa vita. Praecepta activae sunt nidus in terra: praecepta contemplativae sunt nidus in arbore. Mater pullis vel ovis incubat, cum spiritualem intellectum fovet historia, & quaedam pleno eloquio quasi pullos profert; quaedam vero, ut ex iis legentis animum ad altiora perducatur, & quasi sub se ova continens, ex quibus pullos producat. Ova enim foventur, ut ex iis pulli nascantur. - - - Notandum autem, quod dicitur: Non tenebit eam cum filiis, sed abire patietur captos tenens filios: quia aliquando praetermittenda est historia, ut nos spiritualis intelligentia, non historialis usus, reficiat. - - - Historiae igitur exempla dimittimus, sed ex ea allegoricum sensum in mente retinemus. Qui doctor ecstaticus appellatus fuit, Dionysius Carthusianus simili velut ecstasi exegetica correptus ita ad hanc ipsam legem commentatur: *Nidus avis est mansio animae fructuosae, quae per contemplationem nidificat in arbore, hoc est, in cruce Christi: insistendo autem operibus vitae activae nidificat in terra, & incubat ovis vel pullis suis, dum vel propriam conscientiam examinat, peccataque deslet & expurgat, vel spiritualibus suis filiis intenta est arguendo, obsecrando, instruendo. Talis anima non est tenenda, id est, a suis exercitiis impedienda, sed praesati pulli ipsius arctandi sunt iugo**

(a) p. 58.

obedientiae, ut adsuescant regi & parere in omnibus, nec ante tempus quaerant volare, quousque pennis virtutum ac sapientiae decorantur. Exhibuit etiam Lutherus (b) noster allegoricam huius legis interpretationem: *Avis mater dimittitur*, inquiens, & pulli capiuntur per viam, id est, synagoga relinquitur, quae sub se per legem habuit Apostolos & primos credentes, quos Christus adsumpsit in hac vita ad usum verbi sui inter gentes. Verum non ita, ut caeteri, peccavit vir maximus. Non enim interpretationem, sed meditationem, exhibet allegoricam. Paulo namque antea (c) literalem huius legis sensum agnoverat. Audi, quaeso, quae ad *Commentarium suum in Deuteronomium* (d) praefatus est: *Adieci allegorias breves fere per singula capita, non quod magnopere eas curem, sed ut praevenirem quorundam inepta studia in allegoriis tractandis.* Ac aliunde (e) constat fatis, quam inimicus fuerit allegoricis historiarum legumque sacrarum interpretationibus.

XIV.

Certum igitur habemus cum Luthero, non esse dimitendum sensum huius legis literalem. Ut vero detrahatur legi huic hoc sensu captae *παροδοξοφάνεια*, fuerunt, qui, DEVM ad praeuertendam imitationem consuetudinis cuiusdam superstitionis id legis tulisse, docerent. Ac Thomas quidem Aquinas (f) narrat, veteres idololatrias vitam sibi spondidisse prosperam, si matrem una cum pullis reperire & auferre possint: ideoque DEVM vitam felicem & longam promississe matrem euolare permittentibus. Idem narrat Guilielmus, Parisiensis iam supra memoratus episcopus, (qui
Spencer

(b) *Comment. ad h. l. Operum Lat. Ien. T. III. f. 136. a.*

(c) *f. 134. b.*

(d) *fol. 76. a.*

(e) *Inspiciatur eius Commentarius in Genesim f. 45. a, 46. a, 57. a, 123. 124. 125. 183. a, 193. a.*

(f) *Recitat hanc Thomae sententiam Spencerus p. 48. eique fauet. Vid. idem p. 445.*

Spencerus ante Spencerum appellari meretur,) in suo *de legibus* (g) libro; praeferens tamen aliud, quod in *libris maleficiorum* (hoc est, de magia) se legisse ait. *De matre*, inquit, *ovis vel pullis incubante fecunditatem & fortunam in nutriendis filiis posse praestari, credebatur.* Plenius id exponit Alfonso Tostatus, Abulensis episcopus, Iudaeos quosdam dicere scribens, vetari hic a DEO superstitionem illam, qua creditum fuerit, *caput avis in nido super ova vel pullos captae, si appendatur in quadam parte corporis, facultatem generandi dare.* Quis vero non videat, nugas has esse difficiles, ac summa temeritate fingi, eo tempore, quo DEVS dedit hanc legem Hebraeis, vel vnam vel vtramque anilium harum superstitionum fuisse in mundo? Nec inepte credit(h) Clericus, propterea id mentitos esse Iudaeos, vt qualemcunque reddere possent huius legis rationem.

XV.

Apparet ex iis, quae attulimus, legem hanc fuisse nondum aliquem Gordium, quem solvere aggressi sint permulti, sed irrita omnes opera, & repugnante Minerua exegetica; secare audeant empaectae Alexandreo quodam gladio, contemnentes scilicet hanc legem quasi DEO indignam, & vel hinc liquere iudicantes, Mosis leges minime profectas esse a supremo illo Numine. Verum non est desperandus huius legis & scopi legislatoris intellectus, sed confidendum, tandem aliquando & hunc sacri codicis locum lucem habiturum esse clarissimam. Nondum enim est peraratus perculsusque campus exegeticus, amplissimus quippe, sed nostra quoque aetate (quod inter omnes constat,) multis sacri codicis locis lux fuit affusa, qua caruerunt maiores nostri: & posterius quoque nostri multa enodabunt, quae nostrae aetatis interpretum acumen fugerunt omnium. Quare si forte nec nostra de hac lege meditatio exegetis iustae magnitudinis

B 3

dinis

(g) *Cap. IV. p. 35. & cap. XXVII. p. 93.*

(h) *In Comment. ad hunc locum.*

dinis satis placuerit, sperabimus, alio tempore proditurum, qui tam acute cernat, ut nihil plane relinquat dubitationis. Interea fateri nobis liceat, nos quidem non dubitare, quin DEO conatum nostrum prosperante id, quod quaerebamus, inuenerimus, & occasionem scopumque huius legis ex vero indicantes possimus manifestum facere, nihil hic esse paradoxo, & sapientiam pariter ac benignitatem legislatoris esse abunde perspicuam. Age in rem praesentem veniamus.

XVI.

Primo si attentius intuemur hanc legem, facile obseruamus, non fuisse eam praescriptam Hebraeis vniuersis, sed pueris eorum adolescentulisque. His enim, qui non solent infidiari auiculis, datam esse legem hanc, non potest credere, qui cogitat, frustra DEVM nihil facere. Certum igitur haberi debet, ad illos solos pertinere hanc legem, quibus in Hebraeo populo moris erat in agros exire ad referendas domum captas auiculas. Hoc vero puerorum siue adolescentulorum negotium uti est vbique terrarum & gentium, ita & apud Hebraeos hoc factitare solitos esse adolescentis aetatis homines, nemo, credo, dubitauerit. Similis est lex, quae praecedit proxime, indui vetans veste sexus non sui. Nam nec haec spectat Hebraeos ad vnum omnes, sed adolescentes potissimum & adolescentulas, tali veste (i) obtegere doctos suam lasciuiam.

XVII.

(i) Ita cum praeis Rabbini etiam interpretatur hanc legem Wagenfeilius in *Noriberga* sua cap. XXII. p. 175. sq. Doctior est, at non verior, Seldeni sententia, in *libri II. de Diis Syris* cap. 4. credentis, hanc legem interdicere Hebraeos cultu Veneris Syrac, cuius cultores alias virili, alias muliebri veste induti fuerint nullo sexus discrimine. Ducem se sequi profiteatur Maimoniden: cuius auctoritas etiam apud Spencerum valet, copiose pro ista interpretatione propugnantem *lib. II. cap. 17*: qui antecessorem habuit sibi ignotum Guilielmum Parisiensem in *libri de legibus* cap. 13. At crudissime sententiam hanc refutauit David Millius, Lugdunensis Academiae decus insigne, in singulari Dissertatione, quae inter eius *selektas* locum tenet *nonum*.

XVII.

Alterum, quod obseruamus, hoc est. Non reperitur haec lex inter eas, quas DEI iussu praescripsit Moses sancto populo in tribus praecedentibus libris leges diuinas complexis. Iam vero quintus liber, quo nostra lex, & altera modo memorata, continetur, hoc est, duae illae leges pueris & adolescentibus praescriptae, nomen gerit *Deuteronomii*, hoc est, *Repetitionis legum*, & ab ipso Mose (k) appellatur *חשנה התורה*, *secunditas* (vt sic loquar,) *legis*, hoc est, vt Huetius (l) interpretatur, *breuiarium legum in prioribus libris traditarum*. Cur igitur nouae hae duae leges hoc demum in libro promulgentur, inquiri oportet. Nos quidem aliam causam non videmus, quam quod certae se obtulerint occasiones, has leges ferendi caeterisque adiiciendi. Quam, quae-
so, credibile est, accidisse aliquando, & relatum fuisse Mofi, esse inter Hebraeorum (quam gentem ad libidinem proiectissimam haud iniuria vocauit (m) Tacitus,) adolescentes & adolescentulas, quibus in mentem venerit mutare vestem ad exercendam securius libidinem! Hoc proinde ne posthac fieret, instinctu Numinis cauebat hac lege Moses. Quam item credibile est, obseruasse aliquando Mosem vel ex aliis cognovisse, pueros inter capturam tenerarum auium interficere soperere earum matres, atque ita adsuescere crudelitati! Ne igitur feram hanc consuetudinem excipiat aetas virilis inhumanitate, imo immanitate, conspicua, prouide praescripsit pueris

(k) *Deut. XVII. 18.*

(l) In *Demonstr. Euang. Prop. IV. cap. 1. p. 81.* Onkelosus, Abenesra, Kimchius, & Salomo Isacides vertunt *exemplar legis*, ἀπόγραφον, iisque subscribunt Zeltnerus in *Bibliis Altorfensis* ad hunc locum, et ad eundem Langius in *Commentario*, Grotius item ac Tremellius. Verum desunt alia loca, quibus חשנה significat ἀπόγραφον. Quocirca communio-rem sententiam, quae & Lutheri est, nostram facimus iure meritoque.

(m) *Hist. lib. V. cap. 5.*

ris hanc, quam tractamus, legem. Ac sane crudelis animi erat, auiculas feruare viuas, ac delicias (n) suas facere; matrem earum, cui debebantur hae deliciae, immisericorditer interimere. Contra legis huius obseruatione, hoc est, misericordiam erga matres auium exercere adfueti pueri mite induebant ingenium, posteaque in virili aetate naturam habebant a caede alicuius hominis abhorrentem.

XVIII.

Cum vero pueros coelestis legislator haberet ob oculos, eos aetati ipsorum conuenienter tractabat, paterna potius fronte eos alloquens, quam tristi vultu iudicis. Dandum hoc erat immaturitati puerilis iudicii, sperandumque, plus effecturam esse blandam adhortationem & praemii promissionem, quam comminationem poenae grauissimae. Qua vero re facilius inuitari potest puerilis aetas ad parendum, quam certa proposita spe vitae (o) praelongae? Maxime enim haec aetas horret mortem. Quare cum praedicatur puero diuinitus, se, vbi legi non paruerit, non esse peruenturum ad viriles annos, sed breui moriturum; e contrario suae obedientiae fructum futurum esse vitae longitudinem; cupidissime facit id, quod facere iussus fuerit. Eodem respectu tum non minabatur poenam DEVS, sed vitam longam pollicebatur, cum in *Decalogo* (p) iuniori aetati praecipiebat, vt parentes colant studiose. Nec alio stimulo vsus est Paulus (q) apostolus, cum puerilis aetatis Christianos vrbs Ephesi cohortabatur ad praestandam suis parentibus & reuerentiam & obedientiam. An mirabimur nunc cum Guilielmo Parisiensi, Paulo Fagio, & Luthero nostro, quorum verba supra (r) exhibuimus, a DEO adiunctam fuisse huic legi promissionem vitae productissimae?

XIX.

- (n) Hoc fuisse propositum his pueris, etiam celeb. D. Nonnenii est sententia in *Diss. supra memorata p. 26.*
 (o) Inanis est subtilitas auctoris veteris *Nizzachon*, p. 57. censentis, verbis nostrae legis his: *vt bene sit tibi*, promitti felicitatem huius vitae; istis: *vt prolonges dies*, vitae post hanc vitam viuendae aeternam beatitudinem.
 (p) *Exodi XX, 12. & Deut. V, 16.* (q) *Eph. VI, 1, 2, 3.* (r) §. VI.

XIX.

Apparet hinc, DEVM peculiarem formantem remp. id quoque pro sapientia sua spectasse, vt puerilis aetas imbueretur sancta doctrina, & ad bonos mores manuduceretur. Etiam homines leges, qui ciuili sapientiae laudem consecuti sunt, curam iustae educationis gesserunt haud perfunctoriam, vt scilicet in horto reipublicae excrescerent arbores non tortuosae, sed rectae, sed frugiferae, sed ad spectu iucundae. Occurrunt igitur in *Pentateuco* plura huc pertinentia. Vt Abrahamum omittamus, DEI iussu tradentem (s) liberis praecepta pietatis, quam multa huius generis reperiuntur inter leges per Mosem latae! Breuis vt sim, inspici velim haec loca: *Exodi XII. 26. XIII. 8. 14. Deut. IV. 9. VI. 7. XI. 19. XXXI. 12. 13. XXXII. 46.* Talis quoque lex est successoris Mosi, Iosuae, in eius libri *cap. IV. 6. & 21.*

XX.

Cum vero in primis sapientis rectoris reip. sit, provide-
re, ne sua resp. accipiat ciues feros & inhumanos, sed socia-
les, amore mutuo flagrantes, ab omni iniuria & a crudeli-
tate natura abhorrentes, quis non intelligit, ei curae esse o-
portere maximae, vt adsuefiat puerilis aetas clementiae &
misericordiae? Agnoscisne nunc, lector cordate, legem no-
stram esse sapientiae ciuili plenam DEOque dignissimam!
Nec desunt legislatorum inclytorum leges similes. Pythago-
ram refert (t) Plutarchus adsuefecisse suos, vt parcendo be-
stiis omnem crudelitatis sensum amitterent. *Itaque (ita per-
git,) noluit eos indulgere aucupio, & saepe totam aliquam pisci-
um capturam emit, eam in flumen remisit: imo cuiuscunque ci-
curis animalis caede iis interdixit.* Nimia sane quidem huius
philosophi fuit circumspectio: illud tamen pulchre vidit, iu-
niores adsuetudine mites etiam, *Φιλανθρώπων*, benignos
red-

(s) *Gen. XVIII. 19.*(t) *Lib. de capiendis ex inimicis utilitate p 92.*



reddi posse ac debere. Areopagitas vero (u) legimus dam-
nasse puerum coturnicum oculos eruentem, iudicasseque, id signum
esse perniciosissimae mentis, multisque malo futurae, si adoleuisset.
 Ex quo supplicio colligimus, fuisse certam legem in Graecia,
 qua interdiceretur pueris crudelis animantium tractatio. Ea-
 dem est de prohibenda a pueris crudelitate in bestias senten-
 tia philosophici illius *de liberorum educatione* legum latoris,
 eiusque sapientissimi, Ioannis Lockii: cuius sermonem (x)
 lectu dignissimum huc transcriberem, nisi & longior esset, &
 liber eius, in Germanicam quippe linguam conuersus, cui-
 vis facile obuius.

XXI.

Abrumpimus hic filum Dissertationis nostrae, DE O-
 que, felicem nobis largito e caligine, quae legem hanc cir-
 cumdederat, exitum, gratias agimus summa cum reueren-
 tia, laeti, nunc nihil esse hac in lege, quod offendat pios;
 nihil, quod irridendum videri possit impiae. Illustra,
 Pater optime maxime, magis magisque mentes nostras, vt
 non solum ipsi clare agnoscamus legum tuarum totiusque
 tuae Scripturae sapientiam, verum etiam impiae, quo-
 rum ferax, proh dolor! & in Germania est aetas nostra, eam
 exhibere valeamus utroque oculo conspiciendam, desituri-
 tum latrare contra tua λογία, & acta impiarum suarum cri-
 minationum poenitentia tecum redituris in gratiam.

(u) In Quintiliani *lib. V. cap. 9.* Non est hic omittendum testimo-
 nium Isocratis, in *Oratione sua Areopagitica p. 349* docentis,
 magnam curam Areopagitas gessisse institutionis puerilis, &
p. 351. ita scribentis de iisdem: Ἀπάντων μὲν ἐφρόντιζον
 τῶν πολιτῶν, μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. Videbant enim,
 (ita pergit,) maxime necessarium esse, τὰς ψυχὰς αὐτῶν
 παιδεύειν.

(x) *Cap. CXVI.*

APPEN-



APPENDIX.

Clarissimus ille Iudaicae gentis theologus, *Isaacus Abarbanel*, quid in suo *in Pentateuchum commentario* ad hanc legem protulerit, cum sciendi cupidus essem, rogatu meo docuit id amicus quidam non magis Rabbinicarum literarum peritia, quam humanitate, excellens. Existimat scilicet Rabbi ille, nolle DEVM numerum auium nimium imminui, ne & praesens aetas & posteritas carere cogatur earum fructu. Eodem modo arbores frugiferas excindi vetitas esse a DEO. Non autem credit, de auibus immundis loqui hanc legem, sed de mundis. Denique e promissione huic legi adiecta colligit, non propter aues, sed propter homines, latam fuisse legem hanc: ut videlicet multiplicentur aues, quibus & haec aetas & postera frui vesicique possit. Satis bene commentatur Isaacus ille pro ingenio Rabbinico. Verum interpretatio certe

promissionis legi adiectae non satisfacit quaerenti, cur non fuerit huic legi adiuncta sanctio poenalis. Deinde cur auium numerum imminui vetuerit DEVS, non item caeterarum edulium animantium, & quidem auium duntaxat agrestium, non simul domesticarum, relinquatur dubitatio. Acutius igitur vidit Rabbi Nachmanides, cui, teste ipso illo Abarbanele, videtur DEVS cauiffe hac lege, ne sui populi homines crudelitati adsuefierent.



Col. 355. A 178. Misc 30